Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1217
Quelle:
Copyright:

unt; hujus enim *Commentaria* longe aliter incipiunt et finiunt, ut conferenti patebit. Non ille *Odo Rigaldus*, seu *Reginaldus* ex *Ord. Min.* factus *Rothomag.* Archiepiscopus, de quo *Oudinus* T. III. *col.* 449. non enim reperi in Codice L. III. *Dist.* 3. locum illum contra Conceptum Virginis sine macula, quem e suo *Rigaldo* ille profert. Adoptandus igitur erit *Raymundus Rigaldus* O. M. cujus *Commentaria mss.* extare testatur *Waddingus* in Bibliotheca Conventus *Assisii* hoc initio: *Quaeritur, utrum plures sint veritates ab aeterno* &c. Id quod definire Codicis nostri ἀκεφαλια vetat.

DXXV.

R. 495 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 241. f. per duas columnas nitide, multis tamen vocum compendiis perscriptus, et coloribus illustratus caret principio, sed in calce legitur longo illo Diplomatum charactere: *Explicit liber quartus Summe magistri wilhelmi de azbornen.* Fateor inauditum mihi hunc Autorem vasti Operis, a quo citari video *magistrum Gisilbertum*, certe non alium, quam *Porretanum*; agitur enim de *Boetbii* L. *de S. Trinitate*, in quem extant hujus *Gisilberti* seu *Gilberti* Commentaria. Is porro Sec. XII. scripsit, unde posterior est *Wilhelmus* noster, in cujus Cognomine corrumpendo fortasse nos ludificatus est Librarius. Quidquid sit, L. I. hujus *Summae* agitur de Deo et Divinis, L. II. de Lapsu Angelorum et Peccatis, L. III. de Christo et Virtutibus, L. IV. de Sacramentis, cumque initium L. I. et primum L. II. folium avulsa sint, dabo saltem L. III. initium: *Incipit liber tertius. et primo quare potius filius fuerit incarnatus quam pater vel spiritus s. Dicto de peccatis quibus homo lapsus est in perditionem dicendum est de reparatore s. de filio dei. hoc ordine procedemus. De incarnatione primo. Secundo de predestinatione christi. tertio utrum christus fuit decimatus in lumbis abrahe* &c. L. IV. extrema sunt: *que preparauerit deus his qui diligunt eum. Illa gaudia nobis prestare dignetur ihesus christus dominus noster, qui cum patre* &c. Omnibus Libris adest Elenchus Capitum.

DXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 520 Folior. 239. 4. commode perscriptus, et rubricis enotatus, sed initio mulctatus hanc praefert *fol.* 89. clausulam: *Anno Domini &c.* (14) *33°. Lectura textualis Reuerendi magistri Hainrici de oytta primi sententiarum.* Evocatus fuit Vir hic *Parisiis* ad auspicandas Lectiones theologicas *Viennam* ab *Alberto* Duce a. 1379. una cum *Henrico de Hassia*, ut pluribus docetur in *Scriptt. Univ. Vien. P. I. Sec.* 1. p. 58. annumque vitae supremum habuit 1397. Natione *Frisius* fuit, celebratus *Tritbemio n.* 687. qui praeter alia in omnes IV. *Sententiar. Libros* scripsisse affir-